AUGUSTINUS

Klosterneuburg, Ende 12. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

humilitate purgamur. Quia non humiliasset semetipsum factus obediens usque ad mortem crucis, nisi utique sanguis eius in peccatorum remissionem, hoc est in nostra mundatione fuisset effusus. Nec moveat quomodo spongiam ori eius potuerint admovere, qui in cruce fuerat exaltatus a terra. Sic enim apud alios evangelistas legitur quod hic praetermisit, in arundine est factum, ut spongia talis potus ad crucis sublimia levaretur. Per arundinem vero scriptura significabatur, per quam implebatur hoc factum. Sic enim lingua dicitur vel graeca vel latina vel alia quaelibet sonum significans qui lingua promitur, sic arundo dici potest littera quae arundine scribitur. Sed sonos significantes vocis humanae usitatissime dicimus linguas; scriptura vero arundinem dici, quo minus est usitatum, eo magis est mystice figuratum. Faciebat ista misericors Christus, qui faciebat quod facere praesciebat. Qui patiebatur autem non solum quod fieret, cur fieret sciebat, verum et de malefacientibus bene ipse faciebat. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Quid, nisi quod prophetia tanto ante tempore praedixerat? Deinde quia nihil remanserat quod antequam moreretur fieri adhuc oporteret, tamquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam et iterum sumendi eam, peractis omnibus quae ut perageret expectabat, inclinato capite tradidit spiritum. Quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut Iesus mortuus est quando voluit? Quis ita cum voluerit abiit, quomodo ipse cum voluit obiit? Quanta speranda vel timenda potestas est iudicantis, si apparuit tanta morientis! Explicit Omelia .cxi. Incipit Omelia .cxii.

De eo quod dictum est: Iudaei ergo quoniam parasceve erat ut non remanerent in cruce corpora sabbato, usque ad id: Nondum enim sciebant quia oporteret eum a mortuis resurgere.

Postea quam Dominus Iesus peractis omnibus quae ante suam mortem peragi oportere praesciebat, quando voluit tradidit spiritum, quae deinde secuta sint evangelista narrante videamus. Iudaei ergo, inquit, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Non crura tollerentur, sed hi quibus ideo frangebantur, ut morerentur et auferrentur ex ligno, ne pendentes in crucibus magnum diem festum sui diuturni cruciatus horrore formidarent. Venerunt ergo milites et primi quidem fregerunt crura et alterius qui crucifixus erat cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Vigilanti verbo evangelista usus est, ut non diceret latus eius percussit aut vulneravit aut quid aliud, sed aperuit, ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam quae vera vita est non intratur. Ille